

postea cœde consternati ( quia adversæ factionis opes ad domesticam injuriam abolendam , Tribuno auctore , comparari non ignorabant ) Stephanum caput factionis fecuti , ad Othonem secundum , qui tum Verona erat , transfugiunt : cui in Principis Maurocenæque gentis invidiam , Venetorum Imperium pollicentur . Ad eam rem , quia non leves facinoris cernebat adesse autores , continuo Otho animum adjecit . Verum antequam aperto bello Venetos peteret , fame eos tentare statuit : confessim per edictum universæ Italiae Venetorum commercio interdixit : his denunciari fecit , ne negociorum causa aliove prætextu Imperii urbes frequentarent : quod si quid temere egissent , fore ut deinceps pro hostibus ubique haberentur . Ea statim denunciatione apparuit , quid Otho moliretur : ut interclusis commeatisbus , ad ultimum omnium malorum , atque id ipsum intolerabile , inediā , Venetos redigeret . At quamquam non parum terroris ea res civitati attulerat , perinde ac ignari quorsum Othonis confilia tenderent , bono se animo esse Veneti videri volebant , suum dolorem metumque dissimulare , certi prius omnia extrema pati , quam libertatem amittere . Et jam ad multum inopiae ventum erat , quum Caput aggeris , municipium ( quod sæpe fit ut malum malo hæreat ) a Veneto nomine defecit : ipsi municipes defectionis nomine , ut esset esca quædam ad cæteros populos movendos , aliqua Lauretanorum prædia ab Othone impetrarunt . Sed quum hæc foris facta essent , cœpissetque interim civitas jam rerum omnium penuria premi , id totum Veneti Caloprinæ factionis hominibus , qui circa Othonem frequentes erant , acceptum referre , eos incusare , illorum suasu talia in se moliri hostem . Publico itaque decreto Caloprinas ædes funditus diruunt , uxores & liberos custodiæ tradunt , reliqua bona publicant . Interim Otho sua adhuc pertinacia obnixus , ut neque aperto bello Venetos oppugnaret , neque integram pacem redderet , Romam proficiscitur : ubi subita correptus febre paucissimis diebus expiravit . Ejus morte Veneti ( ut sæpe alias ) ingenti sunt periculo servati . Adheleta , defuncto Othone ,

ne Ca-

Otho II. Venetos occul-to bello pe-tit, ac primo fame ten-tat.